

titudinis, ob quam sæpe libertus in servitatem revocabatur. Nam quò quis pleniorẽ indulgentiam est expertus, eò graviorem sceleri suo poenam metetur. (1)

Qua aliàs est pœna tutoris remoti ut suspecti?

Si quidem ob dolum, sententiã expressum, quia scilicet dolose & perniciosè in rebus pupillaribus fuerit versatus, aut ex iis interceperit aliquid, famosus est: ob culpam non aequè, (2) id est, ob levem culpam sive segnitiam, aut inertiam remotus, non notatur infamia. (3) Ideoque solet Prætor causam remotionis exprimere: quæ si expressa non sit, censetur remotus citrà infamiam.

Pendente cognitione suspecti quis administrat?

Quamvis regulariter nemo solet pendente iudicio deturbari possessione rei controversæ, tamen si tutor suspectus postuletur, interdicitur administratio, (4) ejusque in locum sufficitur curator, qui administrat. (5) Ratio hujus juris singularis posita est in favore pupilli, & justo metu, ne tutor suspecti iudicio irritatus grassetur in bonis pupilli.

Sed si pendente suspecti cognitione, humanitàs quid tutori contigerit, extinguitur suspecti cognitio, (6) nec quicquam ad hæredes transit: quia crimen extinguitur morte. Permittitur tamen hæredibus accusati innocentiam ejus purgare, judicis sententiã declarandam. (7)

INS-

(1) L. 3. §. 17. ff. ad S. C. Sylan. (2) §. Suspecti. (3) L. 3. §. ult. l. 4. ff. b. t. l. ult. C. eod. (4) §. Si quis autem. (5) L. 7. C. b. t. (6) §. Sed si suspecti. (7) L. pen. §. 2. ff. de Adim. leg.

INSTITUTIONES
IMPERIALES,
EROTEMATIBUS
DISTINCTÆ, ET EXPLICATÆ.
LIB. II. TIT. I.

*De Rerum divisione, & acquirendo
ipsarum dominio.*

Superiore libro de Jure personarum exposuimus: nunc videamus de Rebus, quod alterum est Juris objectum; quo pacto eæ dividantur, acquirantur, & per quas personas.

Quotuplex igitur est divisio Rerum?

TRiplex proponitur à Justiniano: duæ hoc tit. & tertia tit. sequenti.

I. Quod res vel in nostro patrimonio vel extrà patrimonium nostrum habeantur. (1) In patrimonio nostro, id est, in bonis nostris habentur eæ res, quæ sunt in hominum commercio, quæve humani juris esse dicuntur. (2) Extrà patrimonium esse dicuntur.

G 2

quæ

(1) Hic in princ. (2) Leg. 49. ff. de Verb. sign.

quæ sunt extrâ commercium, quæve divini juris esse dicuntur; & nullius in bonis.

II. Quod res quædam naturali jure Communes sine omnium, quædam Publicæ, quædam Universitatis, quædam nullius, pleræque singulorum. (1) Nam dilatat seu explicat hæc divisio superiorum: ut scilicet earum rerum, quæ extrâ patrimonium alicujus privatum sunt, quædam sint communes, &c. quædam privatorum propriæ, sive in privato cujusque patrimonio.

III. Quædam præterea res corporales sunt, quædam incorporales. (2) Hæc quoque divisio explicat sive ampliat præcedentem, quod nimirum in bonis & patrimonio singulorum habeantur etiam res incorporales, de qua tit. sequenti.

Quæ sunt res communes?

Quæ naturali jure, id est, gentium, communes sunt omnium, sive quarum proprietas nullius est, usus autem omnibus patet, ut aër, aqua profluens, mare, & per hoc litorea maris. (3) Aër quidem communis est ubique, & quicquid in aère capitur, ut avis. Aqua profluens, id est, aqua fluminis: quia non profluens juris est privati. Littora maris sunt communia, uti & mare. (4) Quod verò Celsus ait, littora esse populi Romani, (5) id accipiendum non quoad proprietatem; sed quoad jurisdictionem: cum littora attingentia limites imperii Romani, eidem sub-

(1) Hic in princ. (2) In princ. tit. 2. huj. 2. lib. (3) §. Et quidem naturali. (4) L. 112. ff. de Verb. sign. (5) L. 3. ff. de quid. in loc. pub.

sint. Quo modo hodiè dominium maris ratione territorii vindicare sibi Reges, Principesque solent; atque hinc jura evectioium & invectioium.

Potesne quis prohiberi accedere ad litus maris, vel in eo extruere?

Non potest: dum tamen à villis & monumentis & ædificiis, in litore positis, absteat: quia non sunt juris gentium, sicut est mare. (1) Igitur si in litore quis extruxerit; manet dominus ædificii: (2) quod ei non rectè aufertur, quamvis non ideò se eximere queat jurisdictione vicini populi. Ad hoc autem, ut extruere valeat in litore vel mari opus habet decreto Prætoris: (3) quia non est propriè ille usus litorum, cum usus sit ad tempus, ædificatio in perpetuum.

Quæ sunt res publicæ?

Quarum proprietas est alicujus populi, usus autem omnium, ut flumina pæne omnia, & propter hæc portus. Ideoque jus piscandi ac navigandi omnibus commune est, in portu, fluminibusque. (4) Dico, flumina pæne omnia esse publicæ: quia quædam sunt privata, quæ non sunt perennia. (5)

Portus est locus conclusus, quò importantur merces & inde exportantur, (6) atque ibi naves à procellarum impetu defenduntur.

Quid juris est de ripis?

Earum quidem usus publicus est jure gentium, si-

G 3

(1) Vers. Nemo igitur. (2) L. 14. ff. de Acq. rer. dom. (3) L. 50. ff. cod. (4) §. Flumina (5) L. 1. §. 3. & 4. ff. de Fluminibus. (6) L. 59. ff. de Verb. sign.

cut ipsius fluminis: (1) proprietates verò privatae, eorum scilicet, quorum praedii hærent: ea ratione, quia onus muniendi ripam illis incumbat, qui propinqua praedia possident. Sed neque usus riparum publicus est, verum eatenus dumtaxat, quatenus utendi fluminis ratio postulat. Quare arbores ibi natas cedere non omnibus licet, sed tantum riparum dominis. At naves ad eas appellere, & funes ex arboribus ibi natis religere, cuilibet liberum est, sicut per ipsum flumen navigare.

Quae sunt res Universitatis?

Quae enimque civitatis vel alicujus collegii sunt propriae: deserviunt verò singulorum usibus. Hujus generis sunt theatra, stadia, forum, curia, viae publicae, & si quae alia communia sunt civitatum, (2) quae abusive Publica vocantur: sola enim publica sunt, quae populi Romani sunt. (3) Deserviunt quidem haec, quae civitatum sunt, privatorum usibus: non quasi propriae cujusque, sed jure civitatis, & tantum juris habemus ad obtinendum, quantum quilibet ex populo ad prohibendum habet. (4)

Quae igitur differentia est inter res Communes,

Publicas, & Universitatis?

Quod Communes, quoad proprietatem, sunt nullius, usu autem omnibus pateant: etiam externis, cum nulla sit injuria uti eo; quod natura omnibus commune reliquit: Quod Publicae proprietate sint ali-

(1) §. Riparum, (2) §. Universitatis, l. 6. §. 1. ff. h. t. (3) L. 15. & l. 17. ff. de Verb. sign. (4) L. 2. §. 2. Nequid in loc. pub.

alicujus populi, ut occupatione non acquirantur: quippe occupatae jam ante à populo, usu verò omnium: quod denique res Universitatis & usu & proprietate sint alicujus civitatis aut corporis: quo modo externus ab iis recte secluditur, ut qui nihil juris habeat in civitate, aut corpore.

Quae dicuntur res Nullius?

Quae sunt extra commercium hominum: (1) actu scilicet & potestate: seu quae in nullius sunt bonis, vel esse possunt, neque quoad proprietatem, neque quoad usum: ut quae divini, vel quasi divini juris sunt ex hominum dispositione. Hujus generis sunt res Sacrae, Religiosae & Sanctae. *Quae* nullius fieri possunt, nec ut fiunt, ulla obligatio valeat efficere. (2)

Quae dicuntur res Sacrae?

Quae ritè per Pontifices Deo consecrata sunt: (3) veluti aedes sacrae, & donaria: quae quia Deo dicata, alienari vel obligari prohibentur, excepta causa redemptionis captivorum: quia absurdum non est animas hominum quibuscumque vasis, vel sacris vestimentis praeferrì. (4) Res verò Ecclesiis donatas, non etiam consecratas, ut aedes, fundos alienare non licet: nisi ob urgentem necessitatem Ecclesiae ejusve, utilitatis causam: accedente Anthistitis & Capituli consensu. Ac sciendum est, privata auctoritate nec res, nec loca fieri sacra: nec versa loca profanari, quamvis sacrae aedes diruantur: (5) quia religio earum occupavit solum. G 4 *Quae*

(1) §. Nullius, (2) L. 182. ff. de Reg. jur. (3) §. Sacrae, (4) L. 21. c. de SS. Eccles. (5) Pers. Loc. P. in lib. 10. epist. 1.

Quæ Religiosæ?

Quæ privatâ voluntate piis usibus puta mortuo sepeliendo, destinatae sunt. Religiosum enim locum unusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum. (1) Dico in locum suum; quia in locum communem purum invito socio inferre mortuum extraneum non licet. Ex ipsis verò sociis licet quem inferre, etiam invictis cæteris; maxime si alius non sit locus, in quem inferatur. Summa namque est ratio, quæ pro religione facit, ne videlicet insepulta jaceant corpora. (2)

In alienum autem locum consentiente domino, vel etiam usufructuario (nam & is fundus alienus hic dicitur, cujus usufructus alienus est) licet inferre & locum religiosum facere: Idem est sive ab initio dominus consentiat, sive postea ratum habeat illationem. Nam omnis rati habitio retrotrahitur ad initium, & mandato comparatur. (3) Quid si ab initio dominus consentiat, postea voluntatem mutet? Hoc non nocet ei qui inulit. Nemo enim mutare potest consilium suum in alterius injuriam. (4)

Jure verò Canonico sine auctoritate Episcopi locus non fit religiosus, quia is quoque ad unius Dei cultum referatur. Unde infideles, hæretici, qui se ipsos occiderunt, aut in duello occubuerunt, eo in loco sepeliri non possunt.

Quæ

- (1) §. Religiosum, l. 6. §. 6. & l. 28. ff. Com. divid.
 (2) L. 2. §. 1. & 4. l. 41. & l. 43. ff. de Relig. (3) Ex supr. diâ. & vers. in alienum, l. 80. ff. de Reg. jur. l. 10. de Reg. jur. in 6. (4) L. 75. ff. de Reg. jur.

Quæ Sanctæ?

Quæ sanctiæe aliqua adversus hominum injurias munite sunt & dicuntur quodammodo divini juris, nullisque in bonis esse: (1) veluti portæ & muri civitatis, quos violari, & aliâ, quàm per portas, egredi viâ, hostile est judicatum, (2) & poena capitis constituta in eos, qui aliquid in muros deliquerint, & munimenta nituntur violare civitatis. Unde & ea legum pars, quâ poena constituta est adversus eos, qui contra legem fecerint, Sanctio vocatur. (3)

Quæ denique sunt res singulorum?

Quæ in cujusque privato patrimonio sunt, (4) vel quarum dominium acquiri potest singulis, jure aut gentium, veluti per occupationem, inventionem, traditionem, &c. aut civili, per usucapionem, donationem, successionem ex testamento, vel ab intestato. De illo juris prius agitur, quod vetustius & sæculis omnium vixit, vixitque semper. (5) Suntque ex eo, modi dominii acquirendi varii; qui ad quatuor capita referri possunt: videlicet ad Occupationem, Accessionem, Specificationem, & Traditionem, vel ad tria tantum, cum Specificatio sit accessio quædam, quæ industria fit hominum.

DE OCCUPATIONE.

Quid est occupatio?

Est apprehensio earum rerum, quæ antè in nullius sunt.

- (1) §. Sanctæ, l. 4. ff. de Res. divis. l. fin. cod. (2) Casiod. l. 12. cap. 17. (3) Text. b. in fin. (4) §. Singulorum. (5) Aristot. l. 1. Rhet. cap. 33.

fuere dominio, neque de factio dominum habens: (1) & versatur circa capturas ferarum bestiarum, & hostium rerumque hostilium: item circa inventionem gemmarum in littore maris.

Quid juris in animalium captura?

Ferae bestiae, inquit Imp. & volucres & pisces, & omnia animalia, quae caelo, mari & terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt. (2) Rationem subjicit: quod enim ante nullus est, id naturali ratione occupanti conceditur.

Interestne in suo fundo quis capiat, an in alieno?

Non interest: (3) quoniam ferae, quae super terram gradiuntur, non terrae, cujus non censetur pars, cum non haereant terrae aut fundo, sed aëris, in quo spirant, conditione aësimantur: atqui aër omnium est communis. Nec domini obstat prohibitio, quod minus in ejus fundo capta fera fiat capientis: (4) cum ea non faciat, ut fera ibidem existens desinat esse communis. Non est tamen omnino frustranea talis prohibitio, quia domino fundi salva est actio in injuriam adversus eum, qui contempta prohibitione, ingressus fuerit fundum alienum, venandi, aut aucupandi gratia. (5)

Quousquē fera capta manet capientis?

Quandiu custodiam non evaserit occupantis: quam si evaserit, & se in naturalem libertatem receperit, desinit esse occupantis, & rursus cuivis alteri potest

(1) §. Fera igitur bestia. (2) Dicit. §. Fera. (3) L. 3. ff. eod. (4) Ver. Planè b. (5) L. 13. §. fin. ff. de Injur.

tēa occupanti cedit. (1) Nam ut animalium acquisitio possessione nititur, ita & conservatio, atque amissio eorumdem niti possessione debet: (2) cum contrariorum eadem sit disciplina. Ceterum naturalem libertatem tum demum recipere intelliguntur, cum vel oculos nostros penitus effugerint, vel ita sint in conspectu, ut difficilis, vel nulla sit recuperandi spes. (3) Quis enim manere nostrum dicit (à simili Pomponius demonstrat) quod avis transvolans ex arca, aut ex agro nostro transtulit, aut quod nobis eripuit?

Fera ita vulnerata, ut capi possit, cui cedit, vulneranti, an capienti?

Trebatii aliisque placuit, eousquē videri vulnerantis, donec eam persequatur: quasi licere non debeat, feram ab alio vulneratam eidem eripere, & vulnerantem, dum eandem persequitur, insidiosè antevertere: quae sententia hodiè inter venatores recepta videtur. Inspeciā tamen verborum proprietate, sola vulneratio ante apprehensionem, non faciet occupatam videri feram: uti sentit hic Imper. rejiciens sententiam Trebatii, eò quod multa accidere & soleant & possint, ut quis feram, etiam lethaliter vulneratam, non capiat, (4) vel quia occurrens alia fera progredi eum veterit, aut vulneratam eripuerit, vel quia persequendo in tam aspera concesserit loca, ut investigare amplius non potuerit.

Eadem-

(1) Dicit. §. Fera, versu quidquid autem. (2) L. 13. ff. de Reg. jur. (3) Text. b. l. 44. l. 55. ff. b. t. (4) §. Illud quassimum, l. 5. §. 1. ff. b. t.

Eademne in feris omnibus animalibus quoad dominii acquisitionem est ratio?

Non est: (1) nam animalium alia sunt fera omnino, quæ nullo hominum commercio mansuescunt, ceduntque ea occupanti: alia fera quidem naturæ sunt, quæ tamen ita mansuescunt, ut à nobis abeant, redeantque, avolent, revolentesque veluti apes, pavones, cervi, &c. alia denique mansuetæ ab initio sunt naturæ.

Ergone apium fera quoque natura est?

Eas inter volucres refert Imper. quæ feræ naturæ sunt, & ob id concedi occupanti. Occupatas verò tum demum videri, cum alveo inclusæ sunt. Undè si examen apium ex alveo avolarit, in eadem causa erit, in qua fera bestia, quæ custodiam evasit capientis: ut etiam fiat occupantis, si quis in alieno fundo, & ex aliena arbore apes exemerit, quamvis re integra à domino ab ingressu fundi arceri possit. (2)

Quid juris est de cæteris animalibus, quæ natura quidem fera sunt, hominum tamen commercio mansuetæ fieri possunt?

In iis, si quidem ex consuetudine abire & redire, evolare & revolare soleant, talis regula comprobata est, ut eo usque tua esse intelligantur, donec animum reverendi habeant: (3) quem si habere desierint, etiam tua esse desinent, & fient occupantium.

Re-

(1) §. Apium, l. 26. ff. de Furt. (2) Dicitur §. vers. Examen, l. 5. §. 4. ff. de Acquir. rer. dom. (3) §. Pavonum, vers. in iis autem, & d. l. 5. §. 5.

Revertendi autem animum videntur desinere habere; cum eundi ac redeundi consuetudinem deseruerint: censeturque tunc se recepisse in naturalem libertatem, (1)

Quid de animalibus naturæ mansuetæ, seu domesticis?

De iis traditur hæc regula: ea nostra intelligi & manere quocumque loco sint, licet conspectum nostrum effugerint. Et proinde si quis lucrando animo ea animalia occupet ac detineat, furtum committere intelligitur: (2) cum non censeantur habere animum vindicandi se in libertatem, uti superiora. Nec obstat, quod res minima sit, quia non res furto ablata, sed mens furantis attenditur. (3) *Cur autem apes, columbæ, pavones, feræ sunt: gallinæ & anseres domesticis?*

Quia, ut rectè Justinianus hoc §. alit quoque gallinæ sunt, quas feras: alii anseres; quos feros vocamus. (4) Estque regula Physicorum, animalia esse domestica, quibus alia ejusdem speciei opposita sunt fera. Jurisconsulti pro feris ea habent animalia, quæ facillimè evolant & aufugiunt.

Quid juris est in iis, quæ ab hostibus capiuntur?

Ea jure gentium, statim nostra fiunt, (5) sive mobilia sint, sive immobilia, sive inanimata, seu animata, uti jumenta: adeo ut & liberi homines capti in servitutem redigantur, & cedant capientibus. (6) Quod constitutum videtur, ut scelerati ho-

(1) Dicitur §. in fin. (2) §. Gallinarum. (3) L. 37. ff. de Furt. novell. 69. cap. 1. (4) D. §. Gallin. (5) §. Item ea quæ ex hostibus. (6) L. 5. in fin. & l. 51. ff. b. t.

homines cœreantur justo bello victi, & ut milites reddantur alacriores spe prædæ. Observandum tamen; quod & hic Imp. ait, eos, qui ex potestate domini evaserint, & ad suos reversi fuerint; pristinum statum, id est, libertatem, civitatem, omniaque pristina jura recipere. (1)

Ceduntne eo casu indistinctè omnia capientibus?

Minimè; (2) distinguendum enim est inter res mobiles & immobiles. Illæ interdum servatæ victori, ejusque arbitrio permissæ, interdum in ærarium relatae, interdum ab Imperatoribus divisæ inter milites. Immobiles, putâ agri, arces, oppida publicantur, id est, fiunt Principis, aut Reipub. cujus auspiciis bellum geritur. (3)

Lapilli, gemmae, & caetera que in littore maris inveniuntur, cui cedunt?

Jure naturali statim inventoris fiunt, (4) cùm sint nullius, ejusdemque conditionis cum ipso mari, modò re ipsa occupentur & apprehendantur. Inventio enim fit non oculis sed manu; sive, non visione, sed apprehensione: unde nihil juris dat videnti ante Possessionem occupatam. (5) Dicitur, in littore maris, nam si in itinere publico inveniatur, habentur potiùs pro deperditis, & manent pristini domini.

(1) D. §. Item ea. (2) L. pen. ff. ad L. Jul. pecul. l. pen. §. 1. C. de Don. (3) L. 20. §. 1. ff. de Capt. (4) §. Item lapilli, l. 3. ff. eod. (5) L. 1. §. 1. ff. de Acquir. pos.

DE ACCESSIONE.

Quid est Accessio, & quotuplex?

Accessio est, per quam res aliena fit alterius quia ejus rei accedat. Estque alia Naturalis, alia Industrialis. Ad naturalem spectat nativitas, sive foetura animalium; (1) item alluvio, & circumludio, sive acquisitio insulæ: ad Industrialem specificatio, intertura, confusio, commixtioque, ædificatio, scriptura, ac pictura; ad accessionem denique cùm naturalem tum industrialem, plantatio, satioque, ac perceptio fructuum ex aliena re à bonæ fidei possessore.

Quomodo per Nativitatem acquiritur dominium?

Hoc modo foetus seu partus cedit domino animalis vel ancillæ: Ea, inquit Imper. que ex animalibus domino suo subjectis nata sunt, jure gentium tibi acquiruntur. (2) Partus enim quasi pars ventris est, eumque tanquam accessio sequitur. Prævalet quippe conditio ventris, quod & in fructibus terræ videre est, qui jure, non foeminis, sed soli percipiuntur. (3)

Quomodo per alluvionem?

Quod per alluvionem agro tuo flumen adjecerit, jure gentium tibi acquiritur. Nam Alluvio est incrementum latens, sumpta voce pro eo, quod latenter & paulatim ita adjicitur, ut intelligi non possit, quantum

(1) §. Item ea que ex animalibus; (2) §. Item ea b. t. (3) L. 5. §. 1. & l. 49. ff. de Rei vind.

tum quoque temporis momento adjiciatur: (1) & quod hoc modo adjicitur fundo, fit pars fundi. Id quo etiam puniatur negligentia eorum, qui propè ripam prædia possident, quia scilicet ripam suam non munerint.

Cur dicitur incrementum latens?

Quia si vis fluminis de tuo prædio aliquam partem detraxerit, & vicini prædio adjecerit, *palam est eam tuam permanere*: (2) nisi longiore tempore fundo vicini hæserit: arboresque, quas secum traxerit, in eum fundum radices egerint. Ex eo enim tempore videntur coalitæ & acquisitæ fundo, à quo etiam aluntur. (3) Estque quod sibi, suæque negligentia impuret dominus, quia tandiù tacerit, nec partem agri sui vindicavit. Interim eadem ex æquitate datur in factum actio, quæ pretium ejus, quod accesserit, consequatur.

Quid de Insula acquisitione juris est?

Ea, si quidem *in mari nata fuerit* (quod raro accidit) fit communis, uti & ipsum mare commune est, nulliusque esse creditur, ac propterea cedit occupanti: si verò *in flumine* (quod frequenter accidere solet) fit eorum, *qui ab utraque parte fluminis propè ripam prædia possident*: si nimirum in medio fluminis fuerit enata. *Quod si alteri parti proximior sit, eorum fit tantum, qui ex ea parte propè ripam prædia possident*: (4) quia de horum ripis insula illa quasi decerpta est.

Quid

- (1) §. Præterea, l. 1. l. 7. §. 1. ff. de Acq. rer. dom. (2) L. 7. §. 2. & seq. ff. de Acq. rer. dom. (3) L. 5. §. 3. ff. de Rei vind. (4) §. Insula, d. l. 7. §. 3. & l. 29. ff. b. l.

Quid, si flumen ita fundum alienius occupet, ut evidentè ibi alveum novum querat, relicto priori?

Tum fundi illius dominium mutatur, per novum alveum: & is alveus, ut flumen, fit publicus: prior verò alveus, à flumine derelictus, fit eorum *qui propè ripam prædia possident*, pro modo scilicet latitudinis ejusque agri, *quæ propè ripam sit*: (1) quia ex eorum agris alveus iste olim factus videtur. *Quod si post aliquod tempus ad priorem alveum reversum fuerit flumen*, tunc novus alveus non redit ad priorem suum dominum: sed & eorum esse incipit, *qui propè ripam proxima prædia possident*. (2) Æquitas quidem vult eum pristino concedi domino, at è diverso stricta juris ratio nihil domino in hoc novo alveo concedit: quia ager totus sit mutatus, & alius factus, amissa ejus formâ, quâ mutata propè intèrre dicitur substantia rei. (3)

Estne idem jus alluvionis sive inundationis, quod alvei novi?

Non: (4) nam ager à flumine conversus in alveum, noster esse desinit, & fit publicus, & si reversus à flumine derelinquatur, fit vicinorum. Sed ager inundatione occupatus manet prioris domini. Ratio differentia est, quia alveus, cum sit diuturnus, planè mutat formam & substantiam agri. Inundatio, cum ferè exigui sit temporis, non item: (5) quamvis inundatio nonnumquam sit perpetua, quæ tunc rei formam immutat. H

Quid

- (1) §. Quod si naturali. (2) D. §. in fin. (3) D. l. 7. §. 1. & 5. vers. Quod si. (4) §. Alia sane. 3. (5) L. 1. §. 2. & l. 24. ff. Quibus modis ususfr. amis.

Quid est specificatio, & cui per eam acquiritur dominium?

Est confectio novae speciei, cum scilicet ex materia vel propria, vel aliena, vel partim propria, partim aliena nova species constituitur. Ex propria quidem materia species facta ejus est, qui eam fecit. At si quis ex aliena materia speciem novam confecerit, interest, quâ fide id fecerit, mala ne an bona. Nam, si malâ fide, species ad materiae dominum pertinabit. (1) Itaque si quis ex uvis meis mulsum fecerit, vel ex lana vestimentum, cum sciret hæc esse aliena; tenebitur eo nomine actione ad exhibendum: (2) quia quod ex re nostra fit, nostrum esse verius est. (3)

Quid ergo, si bonâ fide ex aliena materia species aliqua facta sit?

Diversæ olim hæc de re fuerunt sententiæ: Alii, ut Proculiani, existimabant eum esse dominum, qui speciem fecisset: quippe quæ antequam facta esset, nullius fuerit in bonis. Alii, ut Sabiniani, cum qui dominus fuit materiae, ejus quoque quod ex materia illa factum est, dominum esse credebant: (4) quia sine materia species nulla effici possit: & quia quod ex re nostra fit, nostrum esse dicatur.

Alii denique, ut Caius & Paulus, mediani sententiam tenuerunt, (5) quæ & Justiniano hæc proba-

(1) §. Cum ex aliena. (2) L. 12. §. 3. ff. Ad exhib. (3) L. 7. §. 7. ff. h. t. (4) Dicit. §. vers. Et post, multam. (5) D. l. 7. §. 7. l. 8. §. ult. de Reg. jur. ubi in naturalium causarum consuetudinibus, media via eligenda est.

batur: (1) quæque distinctione utitur: ut si species illa ad priorem & rudem materiam reduci possit, (veluti vas ex ære vel argento confectum, potest reduci ad rudem massam æris, argenteive;) vera maneat. Sabinianorum sententia, quæ speciem novam materiae tribuit domino: hæc ratione, quod eo casu materia videatur prævalere formæ, quæ tantum est accidentalis: sin verò non possit species reduci ad pristinam materiam, ut tunc verius sit, quod Proculianis placuit, & species cedat specificanti: quia forma dat esse rei, ut Physici loquuntur: id est, nova forma ad se rei essentiam trahit, præsertim cum pristina species jam interiisse videatur, eo quod ad suam reduci materiam nequeat. Et propterea si quis ex meis tabulis navem fecerit, navis non erit mea, sed facientis, quia non manent tabulæ sive quercus, sicuti nec lana, vestimento factæ nec olivæ, confecto oleo. (2)

Quid si partim ex sua materia, partim ex aliena speciem quis fecerit?

Hoc casu dubitandum non est, eum esse dominum qui fecerit: (3) cum non solum operam suam dederit, sed & partem ejusdem materiae præstiterit: veluti si ex melle meo & vino alieno factum sit mulsum, ejus erit, qui fecerit, quoniam mulsum speciem pristinam non continet. Itaque cum plus contulerit quàm is, qui tantum ex aliena materia speciem

H 2

ciem

(1) Dicit §. (2) L. 26. ff. h. tit. (3) Dicit §. vers. Quod si partim, l. 5. §. 1. ff. de Reivind.

ciem novam fecerit, minus juris habere non debet. (1)

Quid de specificatione accessoria, veluti intextura, est juris?

Hic recepta est regula, quod accessorium seu accessio cedat suo principali, licet pretiosius sit principali: quia ut Ulpianus ait, (2) semper cum quaerimus quid cui cedat, illud spectamus, quid cuius rei ornandae causae adhibeatur, ut accessio cedat principali. Unde si alienam purpuram vestimento suo quis intexuerit, licet pretiosior sit purpura, tamen accessionis vice cedit vestimento. Nec refert, inquit Paulus, quanti sit accessio, sive plus in ea sit, quam in ipsa re, cui accedit, an minus: plerasque enim res propter accessiones emimus.

Daturne eo casu actio aliqua domino purpure?

Datur in factum actio, ad aestimationem purpurae, adversus eum, qui purpuram suo vestimento intexuerit. Qui si eandem subripuerit, etiam furti actione, & conditione furtiva tenetur. Rei vero vindicatio non datur domino, quia illa praesupponit dominium, quod in re extincta nullum est: hic autem purpura pro extincta habetur, atqui extinctae res licet vindicari non possint, tamen a furibus & quibuscumque aliis possessoribus recte condicuntur. Inter omnes enim constat, inquit Ulp. (3) etiam si extincta res sit, furti manere actionem adversus fu-

(1) L. 21. ff. de Reg. jur. (2) L. 19. §. 13. ff. de Aur. & arg. §. Si tamen h. t. cum l. 23. §. 2. & 5. ff. de Reivind. l. 34. ff. de Contr. empt. (3) L. 46. ff. de Furt.

furem, non ideo quia nunc abest, sed quia nunquam beneficio furis affuerit.

Quid est Confusio?

Est materialium, ad diversos pertinentium, inter se & in unum corpus permixtio: ut vel aliam speciem migrent, vel difficultis sit earum separatio: (1) ut fit in liquidis. Veluti si qui vina sua confuderint, aut masas argenti, vel auri conflaverint: si ex vino & melle mulsum fiat, ex auro & argento electrum. Quo casu, si materiae, vel ejusdem generis, vel diversae, dominorum voluntate confusae sint, totum id corpus, quod ex confusione fit, est commune, ita ut suae quisque partis in toto sit dominus. Quod si fortuito & non voluntate dominorum confusae fuerint, idem juris esse placuit. Et, si fieri separatio non possit, (uti cum materiae sunt ejusdem generis) petet quisque pro rata sua portionis: (2) ita ut & ratio habeatur ejus, si cuius materiae pretio praevaleat, isque amplius ferat ex massa: ne alterius jactura locupletetur. (3)

Quid est commixtio?

Quae diversa materia juncta speciem novam non constituunt, sed singula corpora in substantia sua durant, & separari possunt. Quo casu si voluntate & consensu dominorum mixtura facta fuerit, totum quod mistum est, fit commune, & actio communi dividundo: non autem rei vindicatio, locum habet: si fortuito vel casu frumentum v. g. diversorum

(1) §. Si duorum, l. 7. §. 7. & 9. ff. b. t. l. 3. §. ult. (2) L. 4. & 5. ff. de Reivind. (3) L. 206. ff. de Reg. jur.

rum misceatur, id non erit commune, sed quilibet pro rata suae portionis partem vindicabit: quia hic non est perfecta confusio, cum singula corpora, id est, singula grana, in sua substantia durent. (1) Et sicut frumentum non fit commune, ita nec grex intelligitur communis, mixtura ovium facta, quia singula capita in sua manent substantia, nec tua sunt mea, nec mea item tua. (2)

Quid est Aedificatio, & quando est modus acquirendi domini?

Quando aedificium in suo vel alieno solo, ex sua vel aliena materia, exstruitur. (3) Atque ita aedificatio fit vel in suo solo ex aliena materia, vel in solo alieno ex sua materia, vel denique in alieno solo ex aliena materia: & omnibus his modis est modus acquirendi domini ex jure gentium.

Quid juris, si in suo solo aliquis ex aliena materia aedificaverit?

Tunc ipse aedificans intelligitur dominus aedificii: quia omne, quod solo inaedificatur, cedit solo. (4) Hujus regulae haec est ratio, quod accessio cedat principali, ut minus majori. Pars insulae (inquit Paulus) area est, & quidem maxima, cui etiam superficies cedit. Quoniam sine solo aedificium stare non potest.

Hoc tamen casu is, qui materiae dominus fuit, non desinit propterea ejus dominus esse. Ideoque ei auferri non debet, sed tantisper, id est, stante aedificio,

(1) §. Quod si frumentum, l. 5. in pr. l. 23. ff. de Reivind. (2) Dist. §. ver. Sed nec magis, l. 2. & 3. ff. d. 1. (3) §. Cum in suo solo. (4) §. Cum in suo.

ficio, neque vindicare materiam suam potest, neque ad exhibendum de ea re agere, propter legem XII. Tabb. quae tignum alienum aedibus junctum eximi vetat, ne hoc praetextu aedificia rescindantur ac diruantur, & urbis aspectus ruinis deformetur. (1) Consequi tamen potest actione de tigno juncto duplum pretii: (2) ea ratione, quia dominus sine facto suo materia sua carere cogatur. (3) Quod si aliqua ex causa dirutum sit aedificium tunc poterit materiam suam vindicare, & ad exhibendum agere, quippe cessante ratione Legis XII. Tabb. nisi tamen ante duplum fuerit consecutus: quia iniustum esse bis idem exigere, & simul rem ejusque aestimacionem petere.

Quid, si de diverso quis ex sua materia in solo alieno aedificaverit?

Et casu illius fit domus, cujus & solum est: ex jam dicta ratione, solo nimirum quod est Principale, ad se trahente materiam, dominio ejus, quasi extincto. Distinguendus tamen hic est is, qui aedificat bona fide, putans suum esse solum, ab eo qui mala fide, id est, qui scit se aedificare in alieno. Nam in possessione constituto bonae fidei aedificare, potest is soli dominum si petat domum suam esse, repellere exceptione doli mali, (4) sicque sumptus in aedificando factos retinere, qui non debent cedere lucro

H 4

do-

(1) Dist. §. ver. Nec tamen ideo, l. 22. §. 6. ff. de Reivind. (2) L. ult. ff. de Tigno juncto. (3) L. 11. & l. 74. ff. de Reg. jur. (4) §. Ex diverso, l. 27. §. ultim. l. 37. & seqq. ff. de Reiv. l. 2. §. 5. ff. de Dolj mali excepti.

domini, cum jactura aliena. Quod si possidere desiderit, tunc nec actionem, nec exceptionem ad sumptus recuperandos habet. Eidem tamen petenti denegandum non est officium iudicis, quo consequatur rei suæ æstimationem. (1)

Quid si sciens prudensque in alieno edificaverit?

Hot casu materia dominus proprietatem ejus amittit: (2) quia voluntate ejus intelligitur esse alienata, & donasse præsumitur: adeo ut diruto edificio eam non possit vindicare; juxta regulam: Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est. (3) Et potest eidem objici culpa, quod temerè edificaverit in eo solo, quod intelligebat alienum esse: atque ita nec exceptio doli mali malæ fidei aedificatori prodest; concessum est tamen, ut tolla ea, quæ sine detrimento rei tolli possunt.

Quid de Planta censes, quam quis in suo vel alieno solo possuerit.

Ea jure soli ejus erit, cujus est solum: (4) ita ut ne quidem eruta vindicari à pristino domino possit, dummodò radices egerit; neque enim potest intelligi alterius esse, quam ipsius fundi, à quo tota alitur, & per quem alia facta est. Et idè arbor in confinio posita, si etiam in vicini fundo radices egerit, communis sit: (5) aliàs ejus est, ex cujus fundo alitur.

Quid

(1) L. 31. ff. Si cert. pet. l. 2. §. 3. ff. de Neg. ges.
 (2) L. 2. §. C. de Reivind. (3) L. 53. ff. de Reg. jur.
 (4) §. Si Titius, l. 7. §. ult. ff. b. l. (5) L. 6. §. 2. ff. Arbor. furt. cesar.

Quid dicendum de Satis?

Idem, quod de plantis: (1) nimirum sata ejus esse, cujus est solum; quia fructus non jure seminis, sed soli percipiuntur. Is tamen, qui bona fide sevit, opposita doli mali exceptione, impensas servare poterit. (2)

Quotuplices sunt Impense?

Triplices; aut enim sunt *Necessariæ*, sine quibus res interitura, aut deterior futura sit; aut *Utiles*, quæ rem meliorem faciant, omissæ tamen non diminuant; aut *Voluptuariæ*, quæ tantum speciem ornant, fructus non augent. (3)

Quas impensas deducit bonæ, malæve fidei possessor?

Necessariæ omnis possessor deducit, cum non possit videri donasse, qui necessario impedit; fuisset enim ei negligentia sua damnosa. (4) Idem dicendum de impensis, fructuum colligendorum causâ factis, ut & malæ fidei possessor eas repetat, cum sint *necessariæ*. (5) *Utiles* etiam quilibet possessor retinet, quia æquitas non patitur, ut damno alieno dominus fiat locupletior: cujus tamen si tanta sit inopia, ut impensas reddere nequeat, nisi re dividitâ, quia iniquum fuerit dominum cogi re suâ carere, propter impensas ab alio factas; tantum tollere possessori permittitur, quatenus potest sine læsione prioris status. (6) *Voluptuariæ* deducit bonæ fidei possessor, quatenus cedunt in domini utilitatem, ex dic-

(1) §. Qua ratione. (2) L. 25. ff. de Usur. (3) L. 79. de Verb. sign. (4) L. 5. C. de Reivind. (5) L. 38. ff. de pet. hered. (6) L. 39. ff. de t.

dicta æquitatis ratione, quæ etiam malæ fidei possessori permittitur videtur harum impensarum separationem, quatenus ea ipsi profutura, & res deterior futura non est. (1)

Nullane igitur hæc inter bonæ & malæ fidei possessorem est differentia?

Est hæc: quod malæ fidei possessor, non aliter impensas necessarias & utiles deducat, quam si res extet, in quam impendit, & supersit melior facta; eaque ad dominum perveniat: ita scilicet, ut possessor in damno maneat: dominus afficiatur lucro illius jacturæ. (2) At bonæ fidei possessor indistinctè impensas imputat, v. g. quamvis domus quam fulsit, combusta sit, aut res alia melior facta perierit. Quod tamen in singulari possessore bonæ fidei limitant Interpretes.

Quid juris de acquisitione scripturæ?

Quod quemadmodum ædificia solo, plantæ & semina fundo cedunt, ita quoque ex eadem ratione, litteræ quamvis aureæ sint, chartis membranisque cedant. (3) Quidquid enim rei meæ imprimitur, accessionis instar est, & rei meæ cedit, cum ita adjicitur, ut pars ejus fiat. (4) Sed si ego vindicem chartas illas, neque pretium scripturæ solvere velim, tibi doli exceptio est, ut supra. (5) Moribus verò nostris Accursii ratio convenientior est, chartam cedere scripturæ.

Quid

(1) L. 1. §. 9. ff. de Impens. (2) D. l. 1. §. 1. & d. l. 2. §. ff. de Pet. hered. (3) Arg. d. l. 3. §. ff. de Reivind. §. Littera h. t. (4) L. 9. §. 1. ff. h. t. (5) D. §. Litt.

Quid de picturâ?

Idem de ea, quod de superioribus, inspectâ naturali ratione, dicendum foret. At jure singulari placuit propter excellentiam artis, tabulam cedere picturæ; idque propter ejus pretium. (1) Ridiculum enim putavit Imper. picturam Apellis vel Parrhasii in accessionem vilissimæ tabulæ cedere: cum plus sit in manus pretio, quam in re ipsa, & picturæ pretium non in substantiâ, sed in arte positum sit.

Hinc si dominus tabulæ imaginem possideat, & is, qui pinxit, eam petat, nec pretium tabulæ solvat, exceptione doli mali rectè submovetur: (2) At si pictor eam possideat, datur domino tabulæ utilis contra eum vindicatio. Nec obstat regula juris, quod duorum in solidum dominium esse non possit. (3) Nam intelligitur domini duarum rerum; unus tabulæ & picturæ, alter æstimationis.

Fructus à bonæ fidei possessore percepti cui cedunt?

Naturali ratione placuit fructus, quos percepti ejus esse pro cultura & cura: si utique à non domino quem dominum esse crediderit, bonâ fide fundum emerit, vel ex donatione, aliâve qualibet justa causa æquè bona fide accepit. (4) Bonæ igitur fidei possessor est, qui ex justa causa sive justo titulo possidendi, veluti emptione, donatione, legato detinent rem, quam putat bonâ fide suam esse. Item

is

(1) §. Si quis in aliena. At Paulus strictam juris rationem sequi. (2) L. 23. §. 3. ff. de Reivind. (3) L. 13. §. 1. ff. de Verb. sign. l. 9. §. 2. ff. h. t. l. 1. §. ult. ff. commod. (4) §. Si quis à non domino h. t.

is qui auctore iudice rem comparavit. (1) Malà verò fide possidet, qui scit se nullam habere causam possidendi, nec potest ullam reddere cur possideat. (2)

Quid & quotuplex sunt fructus?

Fructus sunt rei accessiones, quæ vel ex ipso rei corpore, vel ejus occasione ad utilitatem hominis proveniunt. (3) Suntque *Naturales* vel *Civiles*. *Naturales* ex ipsa re proveniunt: (4) *Civiles* occasione rei (ut reditus, pensiones ædium, usuræ pecuniarum) qui potius vicem fructuum obtinent: (5) Rursum *Naturales* propriè dicuntur, qui *naturâ tantum operante producantur*, ut poma, pira, herbæ, lignum & similes. Alii sunt *Industriales*, qui *facto & industria hominis*, puta culturâ & curâ, ut vinum, oleum, segetes, legumina, (6)

Bonæ ergo fidei possessor omnes fructus facit suos?

Omnes tam naturales, quam industriales: quia loco domini penè est, & in percipiendis fructibus idem juris habet, quod dominis prædiorum tributum: (7) & plus juris, quam usufructuarius, ad quem omnes fructus pertinere constat. (8) Neque textus hoc loco, fundans se in *cultura & cura*, excludit fructus naturales, cum & illi desiderent curam collectionis, ac custodiæ. Aut, quod verius est, non

(1) L. 137. §. 1. 167. §. fin. de Reg. jur. (2) L. 11. in fin. ff. de Pet. har. (3) L. 62. ff. de Reivind. (4) L. 45. ff. de Usur. (5) L. 12. ff. de Verb. sign. (6) Dist. l. 45. (7) L. 48. ff. h. t. (8) L. 25. §. 2. ff. de Usur. l. 7. in princ. & 8. ff. de Usufr. l. 11. & l. 136. ff. de Reg. jur.

non distinguit inter fructus, sed rationem reddit, cur naturali ratione placuerit, ut bonæ fidei possessor possideat fructus, non industriales tantum, sed & naturales, nimirum quia coluit, & curavit fundum illum, vel rem illam, ex qua fructus provenerunt: ut ita cultura & cura non ad fructus, sed ad rem, unde fructus existunt, referatur. Compensanda enim diligentia & cura possessoris fuit præmio aliquo, præsertim cum publicæ utilitati studuerit, ne agri inculti desererentur.

Facitne verò bonæ fidei possessor fructus suos absolutè?

Sola quidem perceptione dicitur facere fructus suos, sed non absolutè aut irrevocabiliter. (1) Unde distinguendum inter fructus consumptos & exstantes. *Consumptos*, cujuscumque illi sint generis, suos facit absolutè: exstantes verò & nondum consumptos cogitur domino rem, unde percepti sunt, vindicanti restituere. (2) Et hoc est, quod hic ait Imp- de fructibus ab eo consumptis dominus agere non potest. Indicans de exstantibus eum agere posse: cum unius inclusio sit alterius exclusio. Itaque bonæ fidei possessor interim, id est, tantisper, donec res evincatur vel iudicium accipiatur, percipiendo fructus suos facit: at re evicta eos unâ cum re restituere ei compellitur, ex cujus fundo nati sunt, cum non amplius sit loco domini, ac proinde cesset causa, cur fructus apud illum sint, ut rei alienæ pars & accessio. (3)

Quid,

(1) §. Si quis ver. Et idem, lib. 25. §. ult. l. 28. in pr. ff. de Usur. (2) L. 48. in pr. ff. h. t. l. 51. ff. & l. 22. c. de Reivind. (3) Dist. l. 22. c. de Reivind.

Quid, si quis alienum fundum sciens possederit?
 Male fidei possessor, quoniam prado est, & nullam possidendi causam habuit, nihil sibi prorsus retinet ex fructibus, sed omnes, cujuscumque illi sint generis, tam naturales, quam industriales, perceptos & percipiendos, exstantes & consumptos, sive ex iis factus sit locupletior, sive non, domino fundi restituere cogitur, deductis tamen prius impensis necessariis. (1) Nam fructus non intelliguntur, nisi deductis impensis. Et quidem fructus exstantes vindicatione petuntur, vel potius officio iudicis cum ipsa re restituendi veniunt. (2) Consumpti verò conditione sine causa. (3) Non enim debet quis ex sua malitia lucrum facere: & cum jactura aliena locupletari.

Qua est differentia inter bonæ fidei possessorem, usufructuarium, & colonum?

Quod bonæ fidei possessor fructus faciat suos, sive ipse eos perceperit, sive alius ejus nomine: quia separatio à solo facit eum dominum. At fructuarius illos tantum facit suos, quos ipsemet perceperit. Et ideo licet maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit, ad hæredes ejus non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur. (4) Bonæ fidei possessor fructus perceptos transmittit ad hæredes, quia eos percipit jure soli animo & opinione do-

(1) *Vers. Et verò*, l. 33. l. 63. ff. & l. 22. c. de Reivind. l. 36. 40. & 57. ff. de Per. hæred. (2) §. *Etsi in rem. infra*, de Of. jud. (3) L. 4. c. de Cond. ex lege. (4) §. *Is vero ad quem*, l. 15. §. 1. ff. de Usuf. l. 43. ff. de Reiv.

mini. At fructuarius non percipit fructus jure soli, cum sciat rem alienam esse: sed percipit jure usu-fructus, qui consistit in fruendo, & extinguitur cum persona, quia jus est merè personale, ita ut ad hæredem nihil transmittat juris. In colono penè idem juris est, quod in fructuario. Pinguis tamen in eo quod jus suum, quod in prædio conducto habet, transmittat ad hæredem, si decedat durante contractu, qui etiam hæredi censetur initus, ideo & onus contractus ei incumbit. (1)

In pecudum fructu quem esse dicuntur?

Lac, lana, pilus, foetus, ut agni, hædi, vituli, & æquali, & suculi, qui statim naturali jure in dominio, sunt fructuarii. Partus verò ancillæ in fructu non est, sed id solum esse intelligitur, quod ad usum hominis inductum est. (2) Homo verò ad usum hominis conditus non est, & ideo fructuario non acquiritur. Absurdum enim esset, & contra dignitatem hominis, cum in alius esse: cum omnes fructus rerum natura hominis gratiâ comparaverit. Itaque partus ad dominum proprietatis pertinet, & ad bonæ fidei possessorem, qui loco domini est.

Quid si gregis usumfructum quis habeat?

Talis frui grege debet salvâ substantiâ, teneturque in locum demortuorum capitum totidem submittere, & in locum vinearum demortuorum vel arborum substituere alias. (3) Hoc enim est colere & uti, quasi bonus pater familias. Si tamen habeat

(1) L. 10. c. de Locato. (2) §. *in pecudum*, l. pen. ff. Usufruct. (3) §. *Sed si gregis*.

beat usumfructum non gregis aut armenti, sed singulorum capitum; nihil supplere cogitur; (1) quia semel interempta suppleri nequeunt.

Quid est Thesaurus?

Est vetus depositio pecunie, ejus non exstat memoria, ita ut dominum jam non habeat, & propterea fit ejus, qui invenerit, & apprehenderit, quia nullius, (2) Sunt enim paria, non esse, & non apparere dominum. De eo autem si constet, thesaurus propriè non est, ejusque furtum sit. (3)

Semperne totus thesaurus inventori acquiritur?

Non; distinguere enim oportet. Nam aut quis in loco suo seu proprio thesaurum invenit, & totum sibi acquirit, quia fortunæ donum nemini est auferendum. Aut invenit in loco alieno, & dimidium sibi acquirit, pars altera cedit loci domino, dummodo casu invenerit: (4) nam si datâ operâ, totus domino cedit, & inventor jus suum amittit, ut coerceretur cupiditas alieno inhiantium, inhibeaturque occasio subruendi loca occulta. Sin magicis artibus inventus fuerit thesaurus, totus cedit Fisco; nisi id acciderit in fundo alterius, qui dimidium illius habebit, cum ei non sit auferendum beneficium fortunæ, propter delictum inventoris.

Quid, si in loco sacro aut religioso inventus fuerit thesaurus?

Divus Adrianus, naturalem æquitatem secutus, ei

(1) L. 68. & 69. ff. de Usufr. l. 70. §. 3. ff. de Usufruct.
 (2) L. 31. ff. de Acq. rer. dom. §. 1. (3) L. 15. ff. ad exhib.
 (4) §. Thesaurus, l. unie. C. de Thesaur. lib. 10.

ei concessit, qui invenit casu fortuito; ejus sententiam hic Justinianus probat. (1) Sed divi fratres, Severus, & Antoninus, thesauri sic inventi partem Fisco vindicari constituerunt; fortè eâ ratione, quod cura, & defensio locorum sacrorum, quæ publicâ autoritate sunt constituta, principaliter ad Principem spectent. (2) Intelligenda ergo Constitutio divi Adriani de locis religiosis privatis, quæ quisque sibi constituit illatione mortui. Erant enim privata quædam, & familiaria sepulchra, in quibus quod quisque invenit, sibi vindicare poterat, tamquam in suo loco, fundoque repertum. (3)

DE TRADITIONE.

Quid est Traditio?

Theophilo authore, est de manu in manum translatio: (4) quæ definitio concepta videtur de rebus mobilibus, quæ manu traduntur; cum tamen traditio res etiam immobiles complectatur, rectius definietur, *datio possessionis*; (5) nec opus est addere, *rei corporalis*; nam ut possessio cadit in rem dumtaxat corporalem, ita, & ea sola tradi potest.

Differtne in jure Dare, & Tradere?

Planè; licet Tradere pro Dare nonnumquam accipiat. Dare est dominium transferre in accipientem,

I

(1) D. §. Thesaurus. (2) L. 3. §. pen. ff. de Jure fisci.
 (3) L. 5. & 6. ff. de Releg. (4) §. per traditionem. (5) Arg. l. 3. ff. de acq. emp. & l. 28. ff. de Verb. oblig.

rem, sive dominium cum facere: (1) Tradere verò, est possessionem tantum transferre. (2) Traditio est facti potius, sicut & possessio plus facti habet: Datio est juris. Sic venditor non tenetur emptori rem emptam dare, sed vacuum tantum possessionem prestare, utque ei rem habere liceat. (3)

Ut Traditione acquiratur rei dominium, quæ requiruntur?

Quatuor præcipua; I. *Voluntas tradentis*; cum nemo privetur re sua invito; ita ut tradita non videatur, nisi dominus voluerit. At non velle videtur is, qui in transferendo dominio circa corpus errat, quia talis error voluntati contrarius est: non etiam si in causa translationis tantum erretur. (4)

II. *Potestas in transferente*, nam rem alienam rectè transfert, nisi subsit mandatum domini, cum per alium faciens per se ipsum facere videatur: (5) aut lex illud suppleat, veluti in creditore, vendente hypothecam; in tutore, vel curatore, alienante rem minoris. Debet autem hæc potestas esse libera: nam is cui interdita est rerum administratio, ut pupillo, & prodigo, non potest dominium transferre.

III. *Ut sit res, quæ possit transferri à domino*. Unde traditio rei alienari prohibita per testatorem, aut legem, nihil operatur.

IV. *Ut fiat traditio ex justa causa præcedente*, & sufficiente ad translationem, qualis est emptio, venditio, dos, legatum: neque enim nuda, & simplex tra-

(1) §. ultim. ff. d. l. (2) L. 28. & 75. (3) Dicta lex 28. (4) L. 36. ff. b. t. l. 18. de reb. cred. (5) L. 20. ff. eod. l. 11. & l. 54. ff. de R. l.

raditio domini translationem operatur. (1) Uniuscujusque enim contractus initium spectandum, & causa est. (2)

Vendita res, & tradita statim emptori acquiruntur?

Non aliter, quam si emptor venditori pretium solverit, vel alio modo, puta ex promissore, vel pignore dato, ei satisfecerit, aut venditor fidem emptoris fuerit secutus: quia fidem sequi, est quasi accipere. (3) Itaque venditor, donec pretium numeratum sit, dominus remanet & rem suam, si exstet, potest vindicare: (4) atque interim fructus facit suos. Quod si pars pretii numerata sit, pro ea parte tantum fructus ad emptorem pertinent. (5)

Sufficitne interdum, etiam sine traditione nuda voluntas domini ad rem transferendam?

Sufficit: adeoque vera & naturali traditione semper opus non est, veluti si quis rem, quam tibi antè commodaverat, locaverat, apud te deposuerat, postmodum aut vendat tibi, aut donet, aut dotis nomine det. His enim casibus quamvis alienans ex ea causa rem non tradat, tamen quia patitur eam apud te esse, statim tibi acquiritur proprietatis, perinde ac si eo nomine tradita fuisset, idque evitandi circumitus causâ. (6) Hinc si quis merces in horreo depositas venderit, simul atque claves horrei tradiderit

I 2

emp.

(1) L. 31. in prin. ff. eod. (2) L. 8. in pr. ff. mandati. (3) §. vendita vero l. 19. & 13. ff. de con. emp. (4) L. 78. & l. 176. ff. de V. S. (5) L. ult. §. ult. ff. de Fundo dot. (6) §. Interdum. l. 9. §. 1. ff. de Publicia in rem act.

emptori, in eum proprietatem transfert mercium. Intelligi, si modo venditor fuerit dominus: alioquin enim usucapiendi tantum conditio in bonæ fidei emptorem transit. (1)

Potestne fieri traditio in personam incertam?

Id sanè fieri videmus, cum Consules, aut Prætores, hodiè Principes (dic inaugurationis) missilia jactant in vulgus: (2) licet enim ignorent, quid eorum quisque sit accepturus, tamen accipiens, cui fortuna faverit, licet incerta sit persona, illorum fit dominus, cum in genere populus, cui gratificatum volunt, qui missilia jactant, sit certus, quod satis est.

Quid ergo statuendum de rebus pro derelicto habitis?

Ex sunt primò occupantis, exemplo missilium. Quamvis sic discrimen aliquod quoad acquisitionem dominii inter missilia, & rem pro derelicto habitam. Nam res, quæ pro derelicto habetur, statim nostra esse desinit, & occupans ejus efficitur dominus, cum sit nullius. (3) Missilia vero non item, nisi ab alio apprehensa fuerint, quoniam ea est cogitatio, & mens spargentis.

Quæ res habetur pro derelicto?

Quam dominus eâ mente abjicit, ut eam in numero rerum suarum esse nolit. (4) Unde consequitur, eam rem, quæ in tempestate levandæ navis causa ejicitur, non acquiri occupanti: quia palam est non eo animo ejici, ut dominus esse desinat, sed facilius maris, & exortæ tempestatu periculum effluere

(1) L. 74. ff. de Com. emp. (2) §. Hoc amplius. (3) §. Quæ ratione. (4) Vers. pro derelicto, & §. fin.

re possit. In necessitatibus enim nemo censetur liberalis. (1) Eodem referenda est res, quæ domino ignorante de rheda corrente decidit, quæ pro deperdita habetur; ejusque dominus inquirendus est publice; alioqui furtum committitur. Ratio est, quia quod tuum non est, scire debes omnibus modis esse alienum. Quamquam non videatur furti obnoxius, qui post sufficientem inquisitionem domini non comparentis eam rem retinuerit. (2)

TIT. II.

DE REBUS CORPORALIBUS,
& incorporalibus.

Tit. superiori egit Imperator de acquisitione rerum corporalium: sequitur de rebus incorporalibus, non quidem omnibus, sed de Servitutibus, quo modo eæ acquirantur, & amittantur: præmittiturque hic tertia rerum divisio in corporales, & incorporales.

Quæ dicuntur res corporales?

QUÆ sui natura tangi possunt, quæque sub sensum exteriorum cadunt: ut fundus, homo, vestis, aurum. (3)

(1) L. 18. ff. de adim. legat. (2) L. unie. C. unde. V. l. 43. §. 2. ff. de furt. (3) Hic in princ.

Quæ incorporales?

Quæ tangi non possunt, neque oculis corporeis creduntur, sed intellectu tantum percipiuntur: cujusmodi sunt illæ res quæ in jure consistunt, veluti hæreditas, (quam licet quidem pinguius pro rebus hæreditariis accipiant, tamen sine ullo etiam corpore, pro suo succedendi jure capiunt,) servitus; usus-fructus, obligatio quoquo modo contracta. (1) Nec ad rem pertinet, quod in obligatione res corporales contineantur: nam distincta est obligatio ab iis rebus quæ in ipsa versantur, v. g. si vendidisti mihi domum, obligatio quidem respicit rem corporalem, nempe domum: sed antequam eam tradideris, tantum mihi competit obligatio tuæ personæ, non ipsa domus.

TIT. III.

DE SERVIUTIBUS.

Quid est Servitus, & quotuplex?

Servitus hoc loco nihil aliud est, quam jus in re aliena ad usum alterius, vel prædii, vel personæ, præter ejus naturam constitutum. Est enim duplex Servitus, *Realis*, vel *Personalis*: (2) nam si personæ debeatur, est *personalis*: si verò rei sive prædio, tunc *realis* seu *prædialis* perhibetur, nisi aperte conventio ostendat jus personæ, non rei quæsitum esse. *Realis* iterùm duplex est: aut enim prædii rustici est, aut prædii urbani.

Quid

(1) L. 1. §. 1. ff. de Reum divisi. l. 178. ff. de V. S. (2) L. 1. ff. b. 1.

Quid vocas prædium rusticum, vel urbanum?

Rustum voco quemlibet fundum, seu ædificium ad usum percipiendorum fructuum exstructum. *Urbanum* quodvis ædificium habitandi causâ comparatum: & quocumque in loco situm, sive ruri, sive in civitate. Quia non locus, sed materia, hoc est, subiectum, ac commoditas prædia distinguit. (1) Hincque servitutes illis inhærentes, vel sunt urbanæ, vel rusticæ.

Quæ sunt servitutes rusticorum prædiorum?

Quæ prædii debentur rusticis, cujusmodi sunt, *Iter*, *Altitus*, *Via*, *Aqueductus*. (2)

Quid est Iter?

Est jus eundi, ambulandi hominis per fundum alienum. Ire dicitur, qui & sella, & lectica vehitur. (3)

Quid Altitus?

Altitus est jus eundi, ambulandi hominis, agendi jumentum, vel vehiculum: (4) & in hoc plus est, quam in itinere: nam qui actum habet; utique & jus habet itineris, non quidem ex vi verbi, ac jure servitutis, sed ex verisimili paciscentium voluntate, vel potius interpretatione. Quis enim agere vel jumentum, vel vehiculum potest, nisi & ipse eat? Non enim debet, cui plus licet, quod minus est non licere. (5) Cum & in eo quod plus est semper insit minus.

Quid Via?

Via est, jus eundi, & agendi, & ambulandi hominis.

I 4

(1) L. 198. ff. de V. S. (2) §. 1. in princ. h. t. & l. 1. ff. cod. (3) *Difalax* l. 1. l. 2. & 7. ff. de Serv. rust. (4) L. 12. ff. de Serv. rust. (5) L. 2. l. & l. 20. ff. de R. I.

nis. Nam, & iter, & actum via in se continet, id est, facultatem eundi, & agendi æquè proprie. (1)

Si Actus est jus ducendi vehiculi, & Via jus vehendi, in quo ergo differunt?

Is qui viam habet, non tantum per eam agere potest, sed & lignum, & lapidem trahere, hastam item rectam ferre, modò fructus non lædat; (2) quorum neutrum nec iter, nec actum habenti permissum est, quia majus periculum subest lædendi fructus, cum iter, & actus plerumque sint viæ angustiores. (3) In quo etiam differunt: quod viæ latitudo amplior sit, & certa, videlicet 8. pedum in porrectum: 16. in anfractum, id est, ubi flexum est. At actus, itinerisque latitudo non est lege definita, sed ab arbitris, vel ab ipsis partibus definita est, quanta homini, aut jumento eundi sit satis. Cajus differentiam inter viam, & actum hanc constituit. Ferri inquit proprie dicimus, quæ quis suo corpore bajulat: portari ea, quæ quis jumento secum ducit: agi ea, quæ animalia sunt. (4)

Quid est Aqueductus? Est jus aque ducendæ ex alieno fonte, per fundum alienum, vel ad irrigationem agri nostri, vel ad amoenitatem, vel pecoris causâ. (5) Sed requiritur, ut aqua sit viva, & perennis, quia quæ perennis non est, duci non potest: (6) habent enim omnes servi-

(1) D. l. 1. l. 157. §. 1. ff. de V. S. (2) D. l. 7. (3) Cujac. ejus lib. 2. 2. obs. cap. 35. (4) L. 235. ff. de V. S. (5) L. 3. in princ. ff. de aqua quor. est. (6) L. 1. §. 5. ff. eod.

tutes causam perpetuam. Quod si fons exarscat, extincta est servitus, quæ tamen restituitur, si rursum aqua fluere incipiat. (1)

Suntne aliæ servitutes rustice præter enumeratas?

Sunt: veluti Aquæ haustus, id est, jus aquæ hauriendæ ex fonte, puteove vicini; Pecoris ad aquam impulsus, sive jus pecoris adaquandi, seu appellendi pecudes ad fontem, vel puteum vicini; Jus pastendi pecoris in alieno agro: Jus calcis coquendæ, in fundo alieno, & Jus arenæ fodiendæ ex fundo. (2)

Suntne semper rustice hæc servitutes?

Non semper, sed quatenus rustico debentur prædium, eatenus dicuntur rusticæ; (3) nam & possunt deberi, & constitui urbano: uti, & è diverso servitutes urbani prædii possunt deberi rustico, fiuntque rusticæ. (4) Quod autem Imperator illas rusticas servitutes, sequentes verò urbanas appellaverit, ad id videtur respexisse, quod plerumque sic constitui soleant, nec alioquin ea quæ raro accidunt, putavit in negotiis agendis comparanda. (5)

Quæ sunt servitutes urbanorum prædiorum?

Prædiorum urbanorum servitutes sunt, quæ ædificiis inherent. (6) Nam ædificia omnia prædia appellamus urbana, etsi in villa ædificata sint. Inter urbanas servitutes numerantur (7)

(1) L. 34. §. ult. & l. seq. ff. de Servit. rust. præd. (2) §. inter rusticorum. d. l. 1. §. 1. & 10. (3) L. 2. ff. d. i. (4) Zoesius ff. de Servit. n. 23. (5) L. 64. ff. de R. I. (6) §. prædiorum urbani. (7) L. 108. ff. de V. S.

I. *Servitus oneris ferendi*; quæ est jus, quo onera vicini columna, vel paries alicujus ferre, & sustinere cogitur. In qua hoc speciale, quod is, qui eam debet, cogatur reficere columnam, ad eum modum, qui servitute imposita comprehensus est, contra servitutem naturam, quæ est, ut quis patiarur in suo quid fieri, non etiam cogatur agere. (1)

II. *Tigni immittendi*; quæ est jus, quo vicinus tignum, vel trabem ex ædibus suis in parietem domus vicinæ immittere potest. (2)

III. *Proficiendi*; id est, ita aliquid emittendi è nostro pariete, ut provehatur, & pendeat quidem supra alienum, non tamen in eo requiescat. (3) cujus ordinis sunt Mæniana, & Suggrunda.

IV. *Stillicidii*; quæ vicinus patitur, ut aqua pluvia ex tecto nostro, in ædes suas, vel aream stillatim cadat. (4)

V. *Fuminis*; id est, jus aquæ; impetu per canalē decidentis, recipiendæ ab ædibus vicini. Undè fluminis servitus gravior, stillicidii levior habetur. (5)

VI. *Altius non tollendi* servitus imponit necessitatem ædes non tollendæ ultrà certam altitudinem; idque contra naturalem libertatem, quæ permittit facultatem ædificandi ad libitum. (6)

VII. *Altius tollendi* superiori contraria, quando vicino ea lex imponitur, ut teneatur altius ædes suas tol-

(1) L. 8. §. 2. ff. si servitus vind. (2) L. 33. ff. de Servit. præd. urb. (3) Text. hic, & l. 1. ff. d. t. (4) Lib. 20. §. stillicidium, ff. de Serv. præd. urb. (5) Diff. leg. 20. §. stillicidium. (6) L. 8. & 9. c. de Serv.

collere, aut parietem elevare, pro commodo vicinæ domus, ut hac ratione per refractionem, seu repercussionem in eam lumen devolvatur, vel etiam impediatur ventus, aut lumen avertatur. (1) Circa hanc legem vicino impositam, facultas altius tollendi servituti non rectè adscribitur, cum cuique liberum sit domum suam reficere, & parietem elevare, donec probeatur servitus; (2)

Id pertinet servitus: *Ne luminibus officiat*; qua quis prohibetur aliquid facere, quo lumina nostra obscurantur, quod fit altius ædificando, vel arborem ponendo. (3) A qua differt servitus *luminum*, quæ id acquisitum videtur, ut vicinus lumina nostra, hoc est, fenestras, quibus lumen cœli hauritur, excipiat. Item servitus *nec prospectui officiat*.

Plus enim est in prospectu, quam in luminibus, Lumen est unde cœlum videri possit. Prospectus etiam ad amoenitatem refertur. (4)

Cur vocantur servitudes prædiales?

Quia sine prædiis constitui non possunt. Nemo enim servitutem potest acquirere urbani, vel rustici prædii, nisi qui habet prædium; nec quisquam potest debere servitutem, nisi qui prædium habet, unde debeat. Sunt enim prædia subjecta servitutum, servitutes eorum adjuncta; atque hæc sine illis esse nequeunt. (5)

(5) Om-

(1) L. 17. §. 1. ff. de Serv. urb. præd. (2) L. 6 l. ff. de R. l. (3) L. 4. 15. & seq. ff. de Serv. urb. (4) Diff. lex 15. (5) §. ideo autem l. 1. §. 1. ff. com. præd.

Omnes servitutes habentur causam continuam, & perpetuam?

Veteres crediderunt nonnullas esse servitutes quæ causam discontinuam haberent, alias quæ causam continuam. Sed juri conformius est, omnes servitutes esse continuas, cum habeant perpetuam causam, habitu sine scilicet. (1) Qua ratione non constituitur servitus super iis quæ operæ manuum facta, quod eorum causa non sit perpetua, sed super iis quæ causam habent naturalem: naturæ enim ordo certus est. Igitur omnes servitutes causam habent perpetuam, licet usum non habeant continuum, ex quo tamen possessioni nihil derogatur, aut minuitur, cum per hoc non censeatur interpellata, aut amissa possessio, quod quis ei corporaliter non insistat, modo semper facultatem habeat, utendi illa servitute. (2)

Quibus modis servitutes constituuntur?

Constituuntur tam pactioibus incontinenti adjectis bonæ fidei contractibus, quam ultimâ voluntate. (3) Nam potest quis testamento damnare heredem, ne alius tollat suas aedes, ne luminibus adium vicini officiat, &c. Usucapione eas non acquiri ex eo patet, quod usucapio possessionem desideret, quæ non est propriè circa incorporalia. (4) Longâ tamen quasi possessione, & eo temporis cursu, quo res corporalis possessa usucapitur, dicuntur acquiri. (5)

Qui-

(1) L. 28. ff. de Serv. urban. præd. (2) L. 4. & 14. ff. de Serv. (3) S. si quis velit. (4) L. 4. §. ult. ff. de Usucap. (5) L. 2. C. h. t. l. fin. C. de Præsc. long. temp.

Quibus modis amittuntur?

Variis. I. Confusione, si utriusque prædii idem fiat dominus, quia res sua nemini servit. (1)

II. Remissione, sive totius servitutis, sive partiss (2) cum & pro parte retineri possit servitus, & cui-libet liceat jus suum remittere, admittendo actum servituti contrarium, quia eodem genere quodque dissolvitur, quo colligatum est. (3)

III. Resoluto jure concedentis, per hoc enim & resolvitur jus accipientis, cum nemo plus juris in alium transferre possit, quam ipse habet. (4)

IV. Lege, & pacto (5) servituti constituta adjecto, tametsi enim sub conditione, aut ex tempore, aut ad tempus constitui non possit, quod perpetua debeat esse ejus causa: servanda tamen est conventio, daturque exceptio pacti conventi, vel doli. Morte ejus cui debetur servitus, non amittitur, cum rei, non personæ debeatur.

V. Non utendo per modum, & per tempus constitutum, quod est decem annorum inter præsentés, & viginti inter absentes. (6) Quod si temporis intervallo sit distincta servitus ut tantum aliteris annis, aut mensibus debeatur, duplicato tempore amittitur. (7) Quæ est hoc casu differentia, inter servitutum rusticæ, & urbanæ prædii?

Quod servitus rusticæ prædii per solum non usum amittitur?

(1) L. 1. & 8. ff. quemadm. serv. amit. (2) L. 34. ff. de Serv. Præd. rust. (3) L. 35. ff. de R. I. (4) L. 54. ff. de R. I. (5) L. 59. ff. de V. O. (6) L. 3. & l. 10. §. 1. l. 18. ff. quemadm. serv. amit. (7) L. 3. ff. eod.

amittatur, ut sufficiat sola cessatio ejus, cui debetur, etsi ille qui debet, nihil agat: (1) urbani verò prædii servitus non aliter amittatur, quàm si & contrarium factum ejus, qui dominus est prædii servientis, intervenerit: (2) ut si debito tempore foramen in quod immitti tignum solebat, obstruxerit. Ratio differentiæ est, quod rustica servitus consistat in solo exercitio, & in facto ejus, cui debetur, quo cessante ponitur non usus: urbana verò in ædificiis, per quæ, & retinetur, absque facto hominis, ut quoad ædificia sunt adaptata servituti excipiendæ, quod ejus possessio, quæ ut cesset, sunt auferenda.

TIT. IV.

DE USUFRUCTU.

Sequitur nunc de servitutibus personalibus; Usufructu, Usu, & Habitatione.

Quid est Usufructus?

EST jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia. (3)

Ait Imp. Jus, id est, servitus, ut excludat jus quod colonus habet in fundo conducto, quod non est jus in rem, sed tantum in personam locatoris, cum quo contractus initus est. Verba, alienis rebus, indicant eum, qui habet usumfructum, rei proprietatem non habere, quia res sua nemini servit. Verbum

(1) D. l. 18. §. 2. (2) L. 6. in fin. ff. de Serv. urb. præ.
(3) Hic in princ. & l. 2. ff. b. t. l. 1. ff. de Usuf. legat.

bum, utendi, additur ad differentiam pignoris, quod est apud creditorem, qui eo uti non potest invito debitore. Additur fruendi, ut separaretur à nudo usu, & habitatione. (1) Additur salva substantia, tum ut excludatur quasi ususfructus earum rerum, quæ usu consumuntur, quarum ususfructus proprius non est: tum ut coarctetur jus usufructuarii, qui potest eatenus uti frui, quatenus rei substantiam non reddit deteriore, cum rei proprietate deterior facta non videatur reddita. Ideoque cavere non cogitur usufructuarius, si rem integram restitueretur finito usufructu.

Quotuplex est usufructus?

Duplex, ex sententia Interpretum, (2) qui alium faciunt Causalem, qui conjunctus est cum sua causa, id est, proprietate, quam habet dominus, & tunc non est propriè servitus: quia, ut dictum, res sua nemini servire potest. Alium verò Formalem, qui separatus est à proprietate, & alteri debetur in re aliena de quo solo hic agitur.

Quibus modis constituitur usufructus?

Pluribus modis: (3) aut enim per legem, quæ patri usumfructum concedit in bonis adventitiis filii famul, aut per Judicem, quando in judiciis divisoriiis Judex uni fundum adjudicavit, alteri verò usumfructum ejusdem fundi: aut per dominum, cui jus est de re sua liberè disponendi, sive actu inter vivos, si-

(1) L. 13. ff. b. t. l. 3. §. 2. ff. commodat. (2) Costal. ad l. 1. ff. b. t. Dissent. Covasius l. 5. misc. c. 3.
(3) §. Usufruct. à proprietate.

sive ultimâ voluntate: (1) ut ecce, si usumfructum aliqui legaverit, hæres enim nudam habet proprietatem, legatarius verò usumfructum: vel vice versa, si alii deducto eo fundum legaverit.

Quibus in rebus constituitur?

Non tantum in fundo, & ædibus, verum etiam in servis, & jumentis, & cæteris rebus, exceptis his, quæ ipso usu consumuntur. (2) Nam res, quæ usu disperunt, neque naturali ratione, neque civili recipiunt usumfructum: quo in numero sunt vinum, oleum, frumentum, vestimenta: quibus proxima est pecunia numerata, quæ ipso usu, atque assidua permutatione quodammodo extinguitur. Sed harum rerum cum proprius non possit esse usufructus, improprius introductus est à Senatu, utilitatis causâ: (3) sub cautione tamen idonea, de restituenda scilicet re, non cadem, quia consumitur usu, sed alia ejusdem qualitatè, vel ejus æstimationis. Neque enim naturalis ratio auctoritate Senatus commutari potuit. Undè illa regula juris: (4) *Quæ verum natura prohibentur, nulla lege confirmata sicut.*

Quibus modis extinguitur?

Certis quidem modis eum extingui placuit, & ad proprietatem reverti: quia, ut ait Imper. (5) alioqui nulla esset utilitas nudæ proprietatis, semper abscedente usufructu. Finitur itaque

I.

(1) L. 6. & fin. C. de bonis que lib. l. 6. ff. 6. t. (2) §. constituitur autem. (3) Verò, sed utilitatis & v. ergo, l. 1. C. b. t. l. 4. & l. 7. ff. usufr. earum rerum. (4) L. 188. §. 1. ff. de R. I. (5) §. finitur autem, l. 8. ff. de usufr. leg.

I. *Morte ejus*, cui relictus est usufructus: (1) quia personæ tantum debetur, & servit, eique cohereret. Quoties enim cohereret personæ, id quod legatur, veluti personalis servitus, ad hæredem non transiit. Unde regula, (2) *Privilegium personale, personam sequitur, & extinguitur cum persona.*

II. *Capitis diminutione*: olim quidem etiam minima, hodiè tantum maxima, & media, id est servitute, quæ mortalitati comparatur, (3) & deportatione, quæ ut privat civitate, ita & ejus usum: minima non facit amitti civitatem, nec ejus jura.

III. *Non usando per modum, & tempus*, eo modo quo constitutus est usufructus.

IV. *Lapso tempore, aut conditione apposita.*

V. *Rei interitum*, quia usufructus est jus in corpore: quo sublato, & ipsum tolli necesse est, sic nec aræ quidem usufructus debetur. (4) Unde Pomponius excepta capitis diminutione, vel morte, reliquæ causæ, vel pro parte interitum usufructus recipiunt. Non obstat huic juri regula, quæ dicitur in toto parte contineri, quia hic locum non habet. Quoniam in usufructu constituendo hoc actum esse videtur, non ut is interitu rei, sed rei mutatione extingueretur. Tum verò res mutata dicitur, cum in aliam speciem, & nomen transit, etiamsi partes ex prior corpore maneant. Res, inquit Ulp. (5) *abesse videntur etiam hæ, quarum corpus manet, forma mutata est.*

K

VI.

(1) L. 3. l. in. pen. C. h. t. c. 7. de R. I. in 6. (2) L. 196. ff. de R. I. (3) L. 209. ff. de R. I. (4) L. 14. ff. quibus mod. usufr. amitt. (5) L. 13. §. 1. ff. de R. I.

VI. *Cessione*, facta ipsi domino, (1) vel è contrâ proprietate acquisita fructuario: quia res sua nemini servit: & hic VI. modus Consolidatio appellatur.

Cum cedi domino potest, non item extraneo?

Quia cedendo ipsi proprietario, & sic finitur: res enim sua nemini servit. Cedendo extraneo nihil agit fructuarius, (2) quia jus, quod habet, est personale, quod personæ coheret, & cum ea extinguitur. Ad ususfructus commoditatem cedere cuivis potest, quia ea res qualitati ususfructus non repugnat, cujus totum jus remanet in persona usufructuarii, quâ extinctâ etiam jus ejus finitur.

An ergo cessione factâ extraneo, statim ususfructus redit ad proprietarium?

Non statim, sed suo tempore, (3) post finitum videlicet usumfructum in persona usufructuarii inutiliter cedentis. Cedendo enim extraneo nihil agit, (4) id est, ususfructus non recedit à fructuario, non amittitur, cum cessio sit inefficax. Atque ita succedit regula, quod propter alienationem in se utilem, nemo amittat jus suum: & illa: (5) Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.

Finito denique usufructu, vel ejus parte, quid juris?

Cum totus ususfructus finitus fuerit, reverteritur ad dominum proprietatis, qui incipit solidam, & plenam habere proprietatem. (6) At si pars finitur, non re-

(1) L. 8. ff. de peric. & cyn. Reivind. (2) Text. hic. (3) Ita accipiendâ l. 66. ff. de jur. dot. (4) Text. hic. (5) C. non præstat. de reg. jur. in 6. (6) §. fin. b. t.

reverteritur statim ad proprietatem, sed sæpè alteri parti accrescit. (1)

TIT. V.

DE USU, ET HABITATIONE.

Quid est Usus?

EST jus rebus alienis utendi, salva earum substantia.

(2) Constituitur circa easdem res, iisdem modis, & amittitur, quibus ususfructus. Cautio, & hic necessaria de utendo boni viri arbitratu, & de restituendo rem. (3)

Estne igitur tantumdem juris in Usu, quantum in usufructu?

Non est. (4) Nam is, qui fundi nudum usum habet, nihil ulterius habere intelligitur, quam ut oleis, pomis, floribus, fœno, stramentis, & lignis ad usum quotidianum utatur, non ad compendium, sed ut necessitati tantum suæ consulat, atque in fundo ita moretur, ut neque domino fundi sit molestus, neque iis, per quos rustica opera sunt, impedimento: neque ulli alii jus, quod habet, locet, vendat, gratis concedat: cum is, qui usumfructum habet, possit hæc omnia facere, & fructus rei pignori dare. Ratio differentiæ est, quia ususfructus alteri concessus non est novus, sed idem, qui fuit penes concedentem: usus verò esset novus, & planè alienus in

K 2

per-

(1) Quo pertinet tit. ff. de usufr. accrescendo. (2) Text. hic in princ. (3) Leg. 3. §. 1. ff. usufr. quemadm. caveat. (4) §. 1. b. t.

persona extranei, quia alia aliorum est necessitas. (1)

Solius autem utentis necessitas in usu spectatur, idè individuus, & facti potius dicitur. (2) Ususfructus est dividuus, quia magis circa rem ipsam versatur, nempe fructus fundi, quàm circa factum. (3)

Quid est habitatio, & quomodo differt ab Usu?

Habitatio est jus habitandi in aedibus alienis, sive ipsarum substantia: (4) quod etiam locari alteri potest, eà ratione, quia relinquens alicui habitationem, censetur respexisse, & rem, & necessitatem personæ, cui reliquit. (5) Contrà verò si cui usus ædium relictus sit, is locari alteri non potest, quia relinquens censetur nudum jus, & necessitatem utentis, ex proprio fine dèsumptam, respexisse. Quo fit, ut ædium usus in jure consistere dicatur: habitatio in facto potius ut non intersit per se quis an per alium habitet, an verò alteri locet, nam, & qui locat, utitur, & qui alii cedit, ut mercedem accipiat. Unde ea, quæ sunt facti, per alium rectè præstentur: (6) Qua ratione habitatio non perit non utendo, nec capitis diminutione, secus in usu obtinet.

TIT.

(1) L. 72. ff. de R. I. (2) L. 17. ff. de Servitut.
 (3) L. 25. ff. de V. S. (4) S. Sed si cui habitatio. (5)
 L. 13. C. de usufructu. (6) L. 10. ff. b. t.

DE USUCAPIONIBUS.

Hactenus de modis acquirendi dominiæ ex jure gentium: sequitur de iis, quibus legitimo, & civili jure acquirimus rerum dominiæ. Sunt illi in duplici differentia: aut enim titulo universali, uti successione ex testamento, ab intestato, arrogatione, bonorum possessione, additione bonorum causâ libertatis: aut titulo singulari, veluti usucapione, donatione, legato, & fideicommisso singulari, acquirimus rerum dominiæ.

Quid est Usucapio?

Usucapio est adjectio dominiæ per continuationem possessionis, temporis lege definitis (1) hoc est, Usucapio est jus alienam rem, quam definito à legibus tempore, bona fide, juro titulo, & continuo possedi, meam faciendi. Dicitur, adjectio dominiæ, quia adjicitur à lege dominiû nudæ possessioni, absque nova traditione: vel adeptio dominiæ, ut alii volunt, quia usucapio est dominiæ acquisitio per usum: dominiû inquam, non tantum utilis, verum etiam directi, sive pleni, cum in rem usucapit tam

k 3

(1) L. 3. ff. de Usucap.

tam id juris habeat possessor, quod domino competit.

Quo jure introducta?

Jure civili, (1) seu Leg. XII. Tabularum; quæ si quis rem à non domino, quem dominum esse putabat, emerit, vel ex alia justa causa acceperit, eam usucapit, & suam facit.

Quæ ratio introducenda Usucapionis?

Ne rerum dominia semper essent in incerto, (2) utque aliquis tandem finis imponatur litibus, quin etiam, ut coerceretur negligentia dominorum, qui tanto tempore patiuntur res suas esse pones alios; (3) ex qua certè negligentia colligitur voluntas quædam res suas alienandi, adeoque vix est, ut non videatur alienare, qui patitur usucapi. Ex quibus manifestè liquet usucapionem non pugnare cum naturali æquitate.

Quæ sunt requisita ad Usucapionem?

Possessio per Tempus legibus definitum, Bona fides, Titulus justus, & ut res possit usucapi. (4)

I. *Possessio*, & quidem civilis; quæ animo habetur domini, & sola proficit ad usucapionem, non etiam naturalis: (5) quæ ratione non usucapiet creditor, quia tantum naturaliter possidet. Et qui in servitute est: nam cum possideatur, possidere non potest: (6) Inquilinus vero, & colonus non usucapiunt, quia non tam possident, quam detinent rem, & non tam suo, quam alieno nomine. *Possessio debet*

(1) In princ. b. t. (2) L. ult. ff. pro suo. (3) L. 103. ff. de R. I. l. 28. ff. de V. S. (4) C. 3. de Reg. jur. in 6. (5) L. 5. ff. b. t. (6) L. 118. ff. de R. I.

bet esse continuata, quia non nisi integra causa, eaque continua, integrum producit effectum. Interrupta ergo possessione, sive naturaliter per dejectionem, sive civiliter per litis contestationem interruptitur usucapio.

II. *Tempus legibus definitum.* (1) Et quidem olim res mobilis anno ubique uno, immobilis verò biennio in Italico tantum solo usucapi poterat. Hodie longius tempus concessum est, ne domini maturius, & nimis citò rebus suis defraudentur: differentia quoque locorum sublatà. (2) Res itaque mobiles hodie per triennium, immobiles verò per longi temporis possessionem, id est, inter præsentis decennio, inter absentes, vicennio, usucapiuntur. Præsentis sunt, qui in uno loco, & eadem provinciâ domicilium habent; absentes, qui in diversis. Idè his longius tempus datum, quia rebus suis adesse, easque à possessoribus revocare citius non possunt, uti præsentis.

III. *Bona fides*: id est, illa conscientia excusans possessorem ab ignorantia rei alienæ. Igitur bona fide possidere dicitur, qui rem accepit à non domino, quem dominum esse, aut jus distrahendi habere credebat. (3) Mala fidei non idem tributum ne malitiis indulgeatur.

Bona fides debetne esse continua?

Jure quidem civili sufficit, quòd quis ab initio, tempore scilicet rei tradendæ, bonâ fide rem receperit.

K 4

(1) §. 1. b. t. (2) L. unic. C. de usuc. transf. (3) §. 2. b. t. l. 109. ff. de V. S. & §. siquis à non dom. sup. de Rer. divisi.

rit nec cogitur, si postea cognoverit esse alienam, eam domino deferre, cum usucapio sit introducta in odium negligentis rem suam, & nitatur juris auctoritate. (1) Malâ fides autem cum sit facti, non potest impedire ea, quæ sunt juris. Sive non potest legitimi temporis cursum bene semel inchoatum refringere. Etenim quæ semel utiliter constituta sunt, & juris auctoritate firmata, perdurant, licet casus extiterit, à quo inchoari non potuerunt. (2)

At jure Canonico, (quo non inspicitur conflictus ille juris, & facti, sed de facto, & naturaliter singula rerum momenta ponderantur) bona fides omni tempore necessaria est, malaque fides quandocumque ante completam superveniens prescriptionem, nocet possessori. (3) Post completam, non nocet: (4) non enim tenetur justus possessor restituere rem, cuius per usucapionem factus est dominus.

An igitur & possessio, quæ prodesse cæperat defuncto, proderit ejus hæredi?

Jure quidem civili prodesse certum est ad complendam usucapionem, non hæredi tantum, sed & hæredi hæredis, modo defunctus bonâ fide cæperit possidere: (5) cum sufficiat eo jure ad usucapionem perficiendam bona fides ab initio: (6) ideoque mala

(1) L. 10. ff. b. l. l. 48. §. 1. ff. de atq. rer. dom.
 (2) L. 85. §. 1. ff. de R. I. (3) C. 73. eod. in 6. c. finem de prescript. (4) Covar. ad verb. posses. p. 3. §. 2. Facb. l. 1. contr. c. 64. (5) §. distinctat l. 3. c. com. de usucap. (6) L. 13. §. 1. ff. de atq. poss. l. 11. c. eod. l. 11. ff. de divers. & temp. presc.

fides hæredis non impedit accessionem sive continuationem possessionis, ac temporis: uti & è diverso bona fides hæredis non substinebit usucapionem à defuncto malâ fide inchoatam: repræsentat enim defuncti ut personam: ita & vitium. Vitia namque possessionum à majoribus contracta durant, & successorem quoque ignorantem auctoris sui culpa comitatur, etiam in casu, quo à se velit inchoare usucapionis tempora, quia ita non cessat repræsentatio, nec desinit haberi eademque persona cum defuncto. Undè regula juris: (1) *Hæredem*, inquit Ulpian. *ejusdem potestatis jurisque esse, cujus fuit defunctus constat.* Cujus effectus est, quo omnia commoda, & incommoda, virtutes, & vitia, quæ in defuncto fuerunt, transeant in successorem.

At jure Pontificio aliter hæc se habeant, (2) ut jam dixi: quia eo jure necesse est, ut usucapiens, sive is auctor fuerit, sive hæres illius, in nulla temporis parte conscientiam rei habuerit alienæ.

Quid verò in successore singulari juris est?

Inter venditorem quoque, & emptorem conjungi tempora, divi Severus & Antoninus rescripserunt. (3) *Intellige, si bonæ fidei fuerit uterque.* (4) Cæterò quin possessio transit cum sua causa, neque nocet, aut prodest bonæ fidei emptori: qui si postea solus per legitimum tempus rem possederit, impletur usucapio. (5) Neque enim desideratur bona fides vendito-

(1) L. 50. ff. de R. I. (2) C. fin. de presc. (3) §. inter venditorem. (4) Dist. l. 13. §. cum quis (5) L. 5. ff. d. 1. de divis. temp. presc.

toris, aut alterius singularis auctoris, sed successoris tantum, cui si mala fidei fuerit, ut non prodest bona fides auctoris: ita bonæ fidei emptori non nocet mala fides venditoris, quo minus is inchoet à se possessionem, cum ejus personam non representet. (1)

IV. *Justus titulus adesse debet* (2) id est, justa causa possessionis, & habilis ad transferendum dominium: ut sunt tituli pro emptore, pro transactione, pro donato, pro legato, pro dote. Injustum enim putavit lex, non præcedente titulo, pro cujusque captu, & insatiabili affectu, procedere usucapionem. Requirit autem justum titulum, quia falsus, vel opinatus titulus, non est titulus, nec error falsæ causæ usucapionem parit: error inquam juris, aut facti proprii, veluti si quis rem quasi emptam, vel sibi donatam possideat, quæ reverà vendita, aut donata non fuerit. (3) At error facti alieni, quia probabilis, non obstat usucapioni.

V. *Res talis esse debet, qua in se non habeat vitium quaque usucapi possit.* (4) Unde in rebus sacris, religiosis, sanctis, publicis, aliisque, quæ extrâ commercium sunt, usucapio locum non habet, quia earum rerum dominium non potest acquiri singulis. Quo fit ut quamvis res istas quis bona fide possederit, non tamen illi proderit, nec usucapio ullo tempore procedet, quoniam lex impedimento est. Unde regula, *Bona fides tantumdem possidenti præstat quan-*

(1) L. 159. §. 2. leg. 177. ff. de R. I. (2) §. novissimè h. t. (3) L. ult. ff. pro suo. (4) §. Sed aliquando in princ. h. t.

quantum veritas, quoties lex impedimento non est. (1)

Quid si res sint furtiva, aut vi possessæ?

Nec illa, licet longo tempore, & bona fide possessa fuerint, usucapi possunt. (2) Furtivarum quippè rerum Lex XII. Tab. & lex Atinia inhibent usucapionem: vi possessarum, lex Julia, & Plautia. Ratio prohibitionis est, quia neque istarum rerum est commercium: utque violenta invasio rerum alienarum coercetur, & ne ex suo maleficio quisquam lucratur, sive is fur sit, sive quisvis alius bona fide rem acceperit. (3) Nihil enim operatur bona fides, aut titulus, propter vitium quod ipsam rem comitatur, nisi vitio purgato, (4) nempe re furtiva reversa in potestatem possessoris, seu domini, putà si fortè eadem res ad tertium aliquem sine domini pervenerit voluntate: nam quoad dominum ipsum, vel eum, cui ille vendiderit, usucapione opus non est. Servus quoque fugitivus usucapi non potest, propter furti vitium, quia fugiendo sui furtum facere dicitur.

Quid si res defuncto commodata, aut locata, vel apud eum deposita, deinde ab hærede bona fide fuerit alienata?

Quin is, qui acceperit, usucapere possit, dubium non est: (5) eritque securus emptor rem talem per triennium possidendo, quippè cum ea res in furti vitium non ceciderit: furtum enim sine affectu furandi, & con-

(1) L. 136. ff. de R. I. (2) §. furtiva. (3) L. 24. ff. h. t. (4) §. aliquando. l. 4. §. 6. ff. cod. (5) §. sed tamen. l. 36. cum duobus seqq. ff. h. t.

confectione fraudulenta non committitur. (1) Neque hic fraus aliqua fuerit in hærede, quia putavit rem fuisse hæreditariam, & sic bona fide tamquam suam alienavit: ignorantia enim excusat à mala fide. Idem dicendum de usufructuario, qui cum putaret partum ancillæ ad se pertinere, cum venderit: nam, & is error non nocet emptori qui proinde partum poterit usucapere.

Quid, si res soli, seu immobilis, absente, aut negligente domino, mala fide possessa, deinde alii bona fide accipienti tradita fuerit?

Ea usucapi potest, cum vitio careat: (2) ut ecce, Titius fundi Tusculani possessionem apprehendit, quæ vacat propter absentiam, aut negligentiam domini, aut quia dominus sine successore decessit, quamvis ipse mala fide possideat, quia intelligit, se alienum fundum occupasse: tamen alii, puta Sempronio bona fide accipienti, tradiderit, poterit Sempronio longa possessione res acquiri: quia neque affectam furti vitio, neque vi possessam acceperit: non enim fundi, locive furtum committitur, neque rerum immobilium facilis est interversio.

Possuntne usucapi res Fisci?

Non possunt: quia publici juris sunt, quemadmodum nec aliæ res publicæ populi Romani, quia expositæ communi utilitati: (3) læderetur enim communitas, si ejusmodi res per usucapionem acquirerentur,

(1) §. *item si jus*, l. 61. ff. de usufr. (2) §. *quod autem*. (3) §. *res Fisci*, l. 9. 18. & 24. in fin. ff. h. t. 95. §. 1. ff. de leg. 1.

tur privatis. Verùm tamen bona vacantia, id est quæ hæredem non habent, licet Fisco debeantur ex L. Julia caducaria: si tamen, priusquam à Fisco occupentur, bona fide ab alio possideantur, etiam quadriennio tantum cedunt possessori. Ratio est, quia bona nondum Fisco denunciata non sunt Fisci, sed manent in commercio.

Quid, si quis à Fisco rem alienam emerit?

Is quidem olim ex dicto divi Marci, si post venditionem quinquennium præterisset, tutus erat, & dominum, rem suam vindicantem, exceptione repellat. (1) Hodie verò ex constitutione Zenonis, quicumque à Fisco rem alienam, ex causa emptionis, donationis, vel alio titulo acceperit, statim quidem securus redditur, & res ipsius fit: verùm Fiscus domino tenetur, intra quadriennium: eo lapsò, non tenetur. Idem privilegium indultum est iis, qui ab Imperatoris, vel Augustæ domo aliquid comparaverint. (2) Ratio utriusque est, ut tantò facilius emptores inveniat Fiscus, & Imperator, cum quibus propter potentiam nemo aliàs libenter contraheret.

(1) §. *ultim.* (2) L. *ult. C. si advers. Fis. l. 2. C. de quadr. pras. l. ult. cod.*